VERGILIANUM

In extremo carmine suo bucolico condendo Maro primum invocat Sicelidem Nympham Arethusam obsecratque ut se in canendo adiuvet; cui vicissim haec poeta apprecatur: utinam Doris amara (h. e. aqua marina) suam undam tibi non intermisceat,

cum fluctus subterlabere Sicanos.

At nonne fons Arethusæ eo ipso tempore, quo poeta haec optat, fluctus Sicanos perpetuo subterlabitur? Futurum tempus quod est *subterlabere* graviter iam offenderat Peerlkampium illum, qui, cum etiam epitheton *Sicanos* post Arethusam commemoratam otiosum censuisset, coniecit:

cum fluctus subter, Dea, labere canos *

Quam audacem coniecturam merito ac iure omnes editores reiciendam esse existimaverunt. Quamquam autem nemo est quin putet futuro tempori hic locum esse, tamen quis dubitet quin poeta fontem illum non modo postea subterlabsurum cogitatione finxerit, sed iam eo ipso tempore, quo haec caneret, subterlabentem? Quo factum est ut Fr. Plessis, vir doctissimus, hanc ut tolleret discrepantiam, in sua Eclogarum Vergili classica quae dicitur editione (Paris 1919 p. 80) affirmaret votum illud poetae altera harum rerum contineri: aut enim Nympham debere mare Ionium rursus retransire apud flumen Alpheum, amatorem suum, quem sibi reconciliet, aut fugam Arethusæ extra notionem temporis a poeta positam esse. Quod tamen utrumque non apparet omnino, ut mihi videtur, ex ipso verborum contextu. Quæ cum ita sint, equidem arbitror et futurum illud *subterlabere* vim suam servare et sensum loci restitui posse, si pro eo quod est *cum*, una litterula mutata, rescripserimus *dum* (= donec, ἕως, ἐφ' ὅσον): «utinam tibi, Arethusa, dum fluctus Sicanos subterlabere, numquam Doris amara intermisceat suam undam», h. e. utinam, Arethusa, dum vives, integritas tua et sinceritas servetur, non corrupta aquis marinis.

ΓΕΩΡΓΙΟΣ Κ. ΓΡΑΤΣΙΑΤΟΣ

* Apud Al. Forbigerum, P. Vergili Maronis opera, pars I, p. 165.